

ora Concilia Pontificum extiterunt. Tamen hanc habemus spem de Cæsarea Maiestate uestra, ut Imperatore Christianissimo, quod eam cogitatione & rationem suscipiet, ut illa cōtrouersia religionis, ad ueram ac stabilem concordiam, diuino uerbo consentaneam, redigatur, neque suspectis aut partialibus hominibus, maximarum istarum causarum iudicium permittatur, Nam nos quidem nihil magis publicæ concordie profuturum arbitramur quam si generale, Christianum, & liberum Concilium, cuius uestræ Cæsareæ Maiestatis pacificatio, & item multa Maiestatis uestræ, & Imperij decreta, mentionem faciunt, in Germania instituat, cuiusq; celebrandæ spe, nos iam antea uoluntatem, & sententiam nostram, uestræ Cæsareæ Maieitati declarauimus, præsertim in illo responso, quod ante triennium, Maiestatis uestræ Oratori, qui unâ cum Clementis Pontificis septimi, nuncio, quosdam nostrum conuenit, dedimus, & ad uestram Cæsaream Maiestatem haud dubie perlatum fuit, Ac faxit Deus Optimus Maximus, ut solū honor & gloria nois ipsius quærat & illustretur, & saluti Ecclesiæ Christianæ consulatur, quemadmodū nos fore speramus utq; id fiat in Ecclesijs nostris, quotidie orationes & preces haberi curamus.

Quæ quidem omnia singulari obseruantia, erga Cæsaream Maiestatem uestram, rescribenda duximus, cui ut Domino nostro clementissimo nostra debita obedientia & officia perpetuo constabunt, Bene ualeat Maieestas uestra. Datæ nona die mensis septembris, Anno Dñi 1. 5. 36. Uestræ Cæsareæ Maieitati.

Fideles & subditi.

Princeps Elector Saxonie, & alij Principes, ac Status Imperij, in causa religionis cōiuncti.

Ad hæc optimo studio & ut clarè intelligi posset nos aliud nihil q̄ qd̄ honestū & æquū esset p̄ tranquillitate cōmuni querere, exposuimus primū Camera imperialis Iudici & ad se soribus ac deinde quoq; ipsi Helto Schmalkaldicæ plurimas iniustissimasq; rationes, cur illa in quibus iudiciū Camere cōtra pacitione & iusionē Imperatoriæ & Regiæ pacis publicæ, ac ultra nostram recusationem legitime interpositā, aduersus nos procederet, negotia religionis iudicāda essent, aut salte ad illā pertineret, & ex ea oriēturs

D